



MAnnus filius Tuifconis, nepos Gomer, pro-
nepos Iaphet, & abnepos Nohe extitit. Hūc
pater à sua uirilitate gentili lingua Mannum uoca-
uit. Is ergo patri anno post diluuium trecentesimo
septimo successit, atque Abrahę coæuus fuit. Cum
autem apud Sarmatas Rheni optimè res admini-
straret, unà cum patre Germanorum conditor &
pater censetur. Memoria quoque eius etiamnum
apud Germanos celebris habetur, ita ut Germania
à multis Alemannia, ipsiq; indigenæ Alemanni di-
cti fuere. multis etiam ab eo nomina propria indi-
ta, ita ut alij Hermanni, Hardmanni, Hemmanni,
Batmanni, Trutmanni & huiusmodi appellati fue-
rint.

Is etiam cum plures filios haberet, testamento cauit ut Ingeuon filius na-
tu maximus sibi in regno succederet. quam consuetudinem principes & no-
biles Germaniæ, in feudis filijs assignandis etiamnum retinent. Huius Manni
anno quadragesimo tertio Nohe, qui & Ianus multis dicebatur, in Italia mor-
tem obiisse fertur. Cum itaque Mannus Germanis summa iustitia & fortitu-
dine longo tempore præfuisset, posteritas ipsum grato, sed superstitioso ani-
mo, in numerum Deorum retulit.